DIVISIONES VTRIVSQVE IVRIS ad Differentias proximæ.

LEANDRI GALGANETTI I. C.

COLLENSIS, AC CIVIS ROMANI.

COMITIS PALATINI, AC AVRATAE Militiæ Aequitis, in Romana Curia cauſarum Aduocati integerrimi;

ET AD PRAESENS IVDICIS APPELLATIONVM, nullitatum Vrbis, ac Romani Populi Capitanei.



ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. M. DC. X.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

MARCO ANTONIO BVRGHESIO

PAVLI V. PONT. OPT. MAX. FRATRIS FILIO.

LEANDER GALGANETTVS.

IN huius mei de Iuris diuiſione opuſculi in publicum editione ſequar veterem morem meum, quem in cœteris meis lucubrationibus emiſſis vſurpaui, quarum cum aliàs Sanctiſſimo D. N. Excellentiſſimi felicis memoriæ Ioannis Baptiſtæ Patris tui fratri, aliàs Scipioni Burgheſio Cardinali Ampliſſimo conſobrino tuo dicauerim, debebam & tibi tuam, Marce Antoni Burgheſi, quam nunc euulgaturus ſum, ne à mea conſuetudine, nec à vobis ad quorum radios vitæ

curſum dirigo lucidiſſima meæ in hoc ſtudiorum mari nauigationis ſydera deflectere; Offero igitur curam hanc meam tibi, maximæ expectationis, ac ſupra ætatem Puer, precorq. te, vt in hoc exiguo, atque infra meritum tuum, ac meum vobis officij debitum munere, mei erga te orientem ſæculi noſtri ſolem, ac Domum tuam Excellentiſſimam, obſequij, ac deditiſſimæ vobis omnibus, Principes Burgheſij, voluntatis immenſitatem introſpicias, quod facile facti tibi eſt, qui tam aui ingenio præſtas, quam eum nomine repræſentas, neque enim minus à bono rerum æſtimatore ex Elephantorum, balenarumq. corporibus, quam ex formicis, apibusq. ſummi eorum fictoris Dei Sapientiæ Infinitas colligi, ac quodammodo attingi, ne dùm conſiderari poteſt: Vale Pulcherrimè ciuitatis flos, ac virtutis fructus, quos nobis iſthæc egregia indoles tua promittit, vberrimos, ac diuturnos quam primum pręſta ad nobiliſſimæ gentis tuæ, ac Chriſtianæ Reipublicæ ornamentum.

INDEX

INDEX.

DIVISIONVM IVRIS.

A

Abſolutionis. 47
Actionis. 26
Actionis negociorum geſtorum. 34
Actionis præſcriptis verbis. 33
Adoptio. 9

B

Bonorum poſſeſsio. 18

C

Canonum diuiſio. 45
Capitis diminutionis. 39
Clericorum. 48
Cognatio. 20
Conditionum. 22
Conſtitutiones Principum. 2
Conſuetudo. 44
Conuentionis. 27

D

Donatio. 23
Donatio mortis cauſa. 24

E

Epiſcoporum. 49
Exceptionum. 36
Excommunicationis. 46
Exilium. 5

F

Fideiuſſor. 42
Furti. 35

I

Imperium. 41
Interdicta. 15
Iudicia publica. 3
Iudicium præuaricationis. 9
Ius. 1

L

Legata. 21

Libe-

Liberationem . 37
Libertini . 13

M

M*Andati .* 32
Matrimonium . 53
Munus . 8

N

N*Egociorum geſtorum .* 34
Nomina appellatiua . 43
Nouationis . 38

O

O*Bligatio .* 25

P

P*Acti conuenti .* 27
Peccatum . 51
Peculium . 12
Pignoris . 30
Pœna . 4
Pœnitentia . 50
Præuaricationis Iudicium . 6
Procurator . 3
Poſſeſſio . 14
Poſtliminij . 40
Publica iudicia . 3

R

R*Elegatio exilium .* 5
Res . 1

S

S*Erui .* 11
Seruitutes . 16
Societatis . 31
Sponſalia . 52
Stipulationum . 28
Stipulationum prætoriarum . 29

T

T*Eſtamenti .* 19
Tutor . 10

F I N I S.

De

De Diuiſione ipſa.

EST autem Diuiſio, quæ rem ſemouens à re vtramque abſoluit ratione ſubiecta. Cicer. ad Herennium, lib. 4. de Diſtributione, verſ. Diuiſio eſt, &c. & dicitur etiam communioris rei in anguſtiores, & minus communes Diſtinctio. teſte Guliel. Lapid. in tractatu de Diuiſ. in ſuo Meth. Dialect. & alia dicitur nominis, alia rei. Nominis eſt, quando vocabuli ſignificationes, quæ interdum multæ ſunt, exponimus, quam Lapid. partitionem æqui uocationis vocat, quæ ad differentiam proxime accedit; cum ob diuerſitatem nominis inducatur diuerſitas rei, vt in Iure eſt Diuiſio Iniuriæ. Inſt. de Iniur. in princ. & diuiſio familiæ. l. pronunciatio. 195. ff. de verborum ſignif. rei eſt, vel generis in ſpecies, vel totius in partes, illa proprie diuiſio, hæc partitio appellatur; & differt hæc ſpecialis diuiſio à partitione, ſicut ſpecies à parte; de ſpecie autem genus predicatur, de parte totum non; non enim vt dicimus hominem eſſe animal dici poteſt parietem eſſe domum. Diuiſionis ſpecialis tria ſunt præcepta. Primum, vt ſit bimembris. Secundum, vt differentiæ, ex quibus conſtat, ſint repugnantes. Tertium, vt omnes ſpecies rei diuidendæ complectatur.

Primum tamen non poteſt perpetuo obſeruari, cum veris differentijs deſtituamur, ac ipſarum penuria laboremus, vt notaui in compen. differentiarum, in princ. verſ. & quia. Poteſt autem ſumi ex omnibus fere locis, ex quibus argumenta promuntur. Vt à cauſa efficiente, Ius aliud dicitur Naturale, aliud Gentium, aliud Ciuile; A cauſa finali aliud Publicum, aliud Priuatum; A ſubiecto aliud verſari circa perſonas, aliud circa res, aliud circa actiones. Tales diuiſiones in diſtributione artis, ſeu

operis

operis ſubdiuidendæ ſunt, & ſingulæ ſubdiuiſiones rurſus in anguſtiores ſpecies diuidendæ. Hoc eſt, quod Cicero, lib. 1. de Oratore dicit. Omne Ius Ciuile in genera digerendum, deinde eorum generum quaſi quędam membra diſpertienda eſſe. Vt Imp. Iuſt. in ſuis Inſt. præmiſſo generali Iuris tractatu, diuidit Ius, in Ius perſonarum, rerum, & actionum, de iure perſonarum tractat. lib. 1. de rerum iure, lib. 2. 3. & 4. de actionum iure, lib. 4. tit. 6. cum ſequentibus, & perſonarum alias duas facit diuiſiones, nam diuidit homines in ſeruos, & liberos, hos rurſus in ingenuos, & libertinos, item in eos, qui ſunt alieni iuris, & qui ſunt ſui iuris, ſingula in anguſtiores ſpecies ſubdiuidit, quod etiam in rerum, & actionum iure facit, vt ibi patet.

Ad eundem modum poteſt iuris vniuerſi à ſummis generibus ad infimas eius ſpecies fieri diuiſio, quemadmodum conſtat ex diuiſionibus infra poſitis; quæ diuiſiones quãtum proſint ad ſingulorum lectionem, & cognitionem iudicauit. Cicero, lib. 1. ad Herennium de diuiſione cauſarum, & poſt eum Quintilianus de Oratore, lib. 2. de diuiſione, cap. 7.

Sed, vt non ſemper neceſſaria, & quandoq. ſuperuacua eſt, ita oportune adhibita plurimum ſcriptis, orationiq. lucis, & gratiæ confert; Neque enim id ſolum efficit, vt clariora fiant, quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, & in conſpectu Iudicum poſitis, ſed reficit quoque legentem, ac audientem certo ſingularium partium fine, non aliter, quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in ſcriptis lapidibus ſpatia; Nam, & exhauſtis laboribus noſſe menſuram voluptati eſt, & ſcire, quantum ſuperſit hortatur ad reliqua fortius exequenda; nihil enim longum videri neceſſe eſt, in quo, quid vltimum ſit, certum eſt. Nec immerito multum ex diligentia partiendi tulit laudis Quintus Hortenſius, Cuius tamen diuiſionem in digitos diductam nonnunquam Cice-

ro le-

ro leuiter eludit; Nam eſt certus eius modus, & euitanda maxime conciſa nimium, & velut articuloſa partitio; Nam, & authoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec iam membra, ſed fruſta, & huius gloriæ cupidi, quo ſubtilius, & copioſius diuiſiſſe videantur, & ſuperuacua aſſumunt, & quæ natura ſingularia ſunt, ſecant, nec tam plura faciunt, quam minora. Deinde cum fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obſcuritatem, contra quam partitio inuenta eſt. Diuiſio, & ſimplex propoſitio quoties vtiliter adhiberi poteſt. Primum debet eſſe aperta, atque lucida; Nam quid ſit turpius, quam obſcurum eſſe id ipſum, quod in eum ſolum adhibetur vſum, ne cætera ſint obſcura? Tum breuis, nec vllo ſuperuacuo onerata verbo, Non enim quid dicamus, ſed de quo dicturi ſumus, oſtendimus. Obtinendum etiam, ne quid in ea deſit, ne quid ſuperſit. Supereſt autem ſic fere, cum aut in ſpecies partimur, quod in genera partiri ſatis ſit, aut genere poſito ſubijcitur ſpecies, vt ſi dicam de Virtute, Iuſtitia, Continentia, quæ uirtutis ſunt ſpecies. Particio proponit quid ſit, de quo conueniat, quid, de quo ambigatur. In eo, quod conuenit, quid aduerſarius fateatur, quid nos. In eo, de quo ambigitur, quę dicturi ſumus, quę noſtrę propoſitiones, quę partis aduerſę. Turpiſſimum vero, non eodem ordine exequi, quo quicque propoſueris.

In quam quidem turpitudinem Iuſtinianum incidiſſe videtur, qui cum omne ius, quo vtimur, vel ad perſonas, vel ad res, vel ad actiones pertinere affirmet, & ideo de eis ordinate tractare promittat in §. omne autem, vlt. Inſtit. de iure natur. gent. & ciuil. tamen in Pandectis, Codice, & paruo legum Volumine promiſſum ordinem prę uertit, & perſonas cum rebus, & actionibus, res cum perſonis, & actionibus, actiones vero cum perſonis, & rebus miſcet, atque confundit; quas ſic admixtas, atque confuſas ſemouet, atque diſgregat ordinatiſſimus Nicholaus

Vigellius in ſua abſolutiſſima vniuerſi Iuris Ciuilis Metho-do, & in quinquaginta libris, ff. in ſeptem partes promiſ-ſo, & non ſeruato Iuſtiniani ordine diſtinctis.

Diuiſionum totius Iuris Compendium.

Diuiſio Prima.

1 IVS diuiditur in publicum,& priuatum. l. 1. §. huius ſtudij, ff. de iuſt. & iure, & §. fin. inſtit. eod. & diſtinct. 1. c. pe-nult. & 19. q. 2. c.duę ſunt.

2 Priuatum ius diuiditur in Naturale, Gentium, & Ciuile. d.l.1. §. priuatum, ff. eod. & §.fin. inſtit. eod. quę diuiſio eſt ſumpta à cauſa efficiente, & diſtinct. 1. in princ. & c.ius autem,& diſtinct. 11. c. catholica.

3 Iuris diuiſio tertia ſumitur ex materia, ſeu obiecto, nam omne ius, aut ad perſonas, aut ad res, aut ad actiones pertinet. l. 1. ff. de ſtatu hom. & §. fin. inſtit. de iur. natur.

4 Item ius diuiditur in Diuinum, & Humanum. diſt. 1. c. omnes, & diſt.8. c.11.

5 Ius Ciuile diuiditur in ſcriptum, & non ſcriptum. §. conſtat, inſt. de iur. natur. gent. & l. ius Ciuile, §. fin. ff. de iuſt. & iur. diſt. 11. c. ius generale, in fin.& diſt.21. c. Eccleſiaſticarum.

6 Altera iuris Ciuilis diuiſio eſt in ſpeciale,& prętoriũ, quę diuiſio declaratur. l. ius autem. 7. ff. de iuſt. & iur. Iuxta quam diuiſionem obligationes, & actiones, alię di-cuntur Ciuiles, alię Pretorię, ſeu honorarię;& ſic ex diuer-

ſitate

ſitate nominis, differre vtiq. dignoſcitur, ex allegatis; de differentij, ius Naturale.

Diuiſio Secunda.

COnſtitutiones Principum diuiduntur, quia aliç ſunt generales, aliç perſonales, §. ſed, & quod, in fine, inſt. de iur. natur. gent. & ciu. & l. 1. §. fin. ff. de conſtit. Principum.

Item conſtitutionum perſonalium, aliç ſunt cauſç, aliç perſonç; Quç ſunt cauſç ad hçredes tranſmittuntur; Quç ſunt perſonç, non l. priuilegia. 156. ff. de reg. iur. & l. in omnibus. 68. ff. eod. & l. ex pluribus. 41. ff. de adminiſtr. tuto. & l. tempus. 29. ff. de reiudic. habet exemplum.

Item aliç ſunt Ciuiles, & aliç Eccleſiaſticç. diſtinct. 3. in princ.

Diuiſio Tertia.

PVblica iudicia diuiduntur, quia alia ſunt capitalia, alia non capitalia. Capitalia dicimus, quæ vltimo ſupplicio homines afficiunt. Non capitalia ſunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pena eſt. §. 2. inſt. de publ. iud. & l. 2. ff. eod. & l. licet. 103. ff. de verbor. ſignif.

Diuiſio Quarta.

POena etiam diuiditur, quia alia eſt capitalis, alia non capitalis. l. capitalium. 28. in princ. ff. de pœnis. Item aliter diuiditur, quia alia vitam adimit, alia ſeruitutem adiungit, alia Ciuitatem aufert, alia exilium, aut coercitionem corporis continet, alia damnum cum infamia, alia dignitatis depoſitionem, aut alicuius actus prohibitionem contrahit. l. ſi quis. 6. §. fin. cum ſeq. ff. eod.

Diuiſio Quinta.

R Elegatio, ſiue exilium diuiditur, quia aut eſt certorum locorum interdictio, aut lata fuga, vt omnium locorum præter certum locum, aut Inſulæ vinculum, ideſt relegatio in Inſulam. l. exilium, ff. de interdictis, & relegatis. & l. relegatorum, in princ. eod.

Diuiſio Sexta.

P Ræuaricationis iudicium diuiditur, quia aliud publicum, aliud moribus inductum eſt. l. præuaricationis, ff. de præuaricatoribus. & l. palam. 43. §. ſi qua calumniæ, ff. de ritu nupt.

Diuiſio Septima.

P Rocurator diuiditur, quia aut omnium rerum, aut vnius rei eſſe poteſt. l. 1. §. 1. ff. de procurat.

Diuiſio Octaua.

M Vnus diuiditur, quia aliud eſt publicum, aliud priuatum. l. honor. 14. §. 1. ff. de muner. & hon. Item aliud eſt patrimoniale, aliud perſonale, aliud mixtum. l. munerum. 18. in princ. ff. eod. & l. 1. in princ. & l. reſcripto. 6. §. ſciendum, ff. eod.

Diuiſio Nona.

A Doptio diuiditur, quia alia eſt arrogatio, alia adoptio. §. 1. inſtit. de adopt. & l. 1. cum ſequent. ff. eod.

Diui-

Diuiſio Decima.

TVtor diuiditur, quia alter eſt teſtamentarius, alter legitimus, alter datiuus, quia aut teſtamento, aut legibus, aut magiſtratu datur. §. permiſſam. inſtit. de tutulis. & l. 1. in princ. ff. de teſtam. tut. & toto titulo. inſt. de legit. agn. tute. & l. 1. in princ. ff. de legit. tutor. & toto titulo. inſt. de Attiliano tutor.

Diuiſio Vndecima.

SErui diuiduntur, quia alij naſcuntur, alij fiunt; Naſcuntur ex ancillis noſtris, fiunt iure gentium ex captiuitate, aut iure Ciuili, cum liber homo maior viginti annis ad precium participandum ſe ſe venundari paſſus eſt. §. ſerui, inſtit. de iure perſo. & l. & ſeruorum, §. 1. ff. de ſtatu hom.

Diuiſio Duodecima.

PEculium diuiditur, quia aliud eſt paganum, aliud caſtrenſe, aliud quaſi caſtrenſe. l. peculij. 37. C. de inoffic. teſt.

Diuiſio Decimatertia.

LIbertini olim diuidebantur, nam alij maiorem, & iuſtam libertatem conſequebantur, & fiebant Ciues Romani, alij minorem, & fiebant Latini. ex l. Iunia Norbana, alij inferiorem, & fiebant ex l. Aelia Sentia dedititij, hodie libertas ſeruis cum Ciuitate Romana præſtatur. §. libertinorum. inſtit. de libertinis. §. ſed hæc de ijs libertinis. inſt. de ſucceſſ. libertorum. & l. vnica, C. de dedititia libert. toll. & l. vnica, C. de latina libert. toll.

Diuiſio

POſſeſſio diuiditur, quia alia eſt Naturalis, alia Ciuilis. l. 1. in princ. ff. de acquir. poſs. l. quæſtio 115. §. poſſeſſio, ff. de verborum ſignif. & l. permiſſori. 52. §. 1. ff. de acquir. poſs. & l. poſſeſſio. 49. §. 1. ff. de acquir. poſs. & l. nemo. 10. in princ. C. eod. & l. 1. §. furioſus, in fin. ff. eod. & l. denique. 19. §. fin. ff. quibus ex cauſis maior.

Hinc poſſeſſionis vocabulum pro ſubiecta materia varie accipitur, aliter videlicet in vſucapione, aliter in interdictis, aliter in rei vẽdicatione. Primo caſu anguſtior eſt eius ſignificatio. Secundo latior. Tertio latiſſima; Nam in vſucapionibus ſumitur tantum pro ea detentione, qua quis rem aliquam tanquam ſuam poſſidet, ad quod facit. l. poſſideri. 3. §. genera, ff. de acquir. poſſeſs. In interdictis latius ſumitur poſſeſſio pro ea detentione, qua quis rem aliquam detinet, non ſolum tanquam ſuam, ſed, & tanquam alienam ſuo tamen, non alieno nomine, ſic vſufructuarius, & vſuarius poſſidere rem dicitur, vt deiecto interdictum, vnde vi competat. l. quidem. 3. §. penult. & l. Fulcinius. 8. ff. de vi armata. l. vlt. ff. vti poſsid. Quo caſu Seruus, Colonus, Procurator poſsidere non dicuntur, nec deiecti eſſe, cum non ſuo, ſed alieno nomine poſsiderent. l. 1. §. quod ſeruus, ff. de vi, & vi armata.

In rei vendicatione, quæ aduerſus poſſeſſorem datur, poſſeſsionis vocabulum latiſsime accipitur, vt etiam eum, qui non ſuo, ſed alieno nomine poſsidet, contineat, vt eſt Depoſitarius, Colonus, Procurator, &c. l. officium. 9. ff. de rei vendic.

Triplex igitur eſt ſignificatio vocabuli poſſeſsionis iuxta triplicem animum, quo res detinetur. Nam is, qui rem aliquam detinet, eam aut ſuo nomine detinet, aut alieno. Suo nomine duobus modis. Primo, tanquam ſuam. Secundo, tanquam alienam, ius tamen aliquod in ea prætendens, veluti vſufructum, vſum, pignus, &c.

Angu-

Anguſtiore igitur ſignificatione is tantum poſsidere dicitur, qui ſuo nomine, & tanquam ſuam rem detinet, vt in vſucapionibus. Sic vſufructuarius, & ſimiles non dicuntur poſſidere. l. 1. §. per eum. & l. permiſceri. 52. in princ. ff. de acquir. poſs. l. certe ſi. 6. §. is qui, ff. de precario. l. adquiruntur. 10. §. fin. ff. de acquir. rerum dom. l. Celſus. 5. §. Iulianus, verſ. quamuis nec hi, ff. ad exhibendum.

Latiore ſignificatione poſſidere dicitur, qui rem detinet ſuo nomine, ſed tanquam alienam, non ſuam, ob ius, quod in ea re habet, vt in interdictis.

Sic vſufructuarius etiam dicitur poſſidere. l. naturaliter. 12. in princ. & l. poſſeſſio, 49. in princ. ff. de acquir. poſs. Item creditor dicitur poſſidere pignus. l. cum, & fortis. 35. §. fin. de pign. actio. l. ſerui. 16. ff. de vſucapi. Item is, qui precario rogauit, dicitur poſſidere. l. in rebus. 4. §. 1. ff. de precario. & l. 2. §. fin. ff. eod. & l. & habet. §. eum qui, eod. & l. poſſideri. 3. §. ex contrario ibi latinus tamen, ff. de acquir. poſs. & l. interdum. 21. in princ. ff. eod.

Depoſitarius autem non dicitur poſſidere. l. licet. 17. §. fin. ff. depoſiti. Rota diuer. deciſ. 281. num. 10. par. 2. Neque Procurator. l. quod meo. 18. in princ. ff. de acquir. poſs. neque Colonus, neque Inquilinus. l. certe ſi. 6. §. is qui rogauit, ff. de precario; neque is, qui in poſſeſſionem miſſus eſt. l. ſi quis. 10. §. idem Pomponius, ff. de acquir. poſs.

Latiſſima ſignificatione omnes omnino dicuntur poſſidere, qui habent reſtituendi facultatem, ſiue ſuo, ſiue alieno nomine detineant, vt in reiuendicatione. Sic etiam Depoſitarius, Colonus, Inquilinus, Procurator, & ſimiles, qui alieno nomine detinent, poſſidere dicuntur. l. officium. 9. ff. de rei vendic. l. communi. 7. §. neque Colonus, ff. comm. diuidun.

Nihil habet commune proprietas cum poſſeſſione. l. naturali-

turaliter. 12. §. nihil commune, & l. permiſceri. 52. in princ. ff. de acquir. poſs. fieri itaque poteſt, vt alter poſſeſſor ſit, Dominus non ſit, alter Dominus ſit, poſſeſſor non ſit, & vt idem poſſeſſor, & Dominus ſit. l. 1. §. huius autem, ff. vti poſsi. quanquam Iabolenus Domino non attribuat poſſeſsionem, in l. quæſtio. 115. ff. de verborum ſignif. vbi ait, quidquid appræhendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellari, ſentiens, opinor, quemadmodum vſusfructus cum proprietate conſolidatus non amplius dicitur vſufructus, ſed plenum dominium, ita quoque poſſeſſionem Domini non amplius poſſeſſionem, ſed Dominium appellandum.

Poſſeſsionis vocabulum nunc facti, nunc iuris eſt, vt dictum eſt ſupra, nam Naturalis poſſeſſio eam ſignificat, quæ corpore appræhenditur, & in facto conſiſtit. Ciuilis eam, quæ conſiſtit in iure, & ex qua non Domino vſucapio procedere poſsit. Sic vxor rem ſibi à marito donatam poſſidere dicitur Naturaliter, non Ciuiliter, quia ius Ciuile improbat hanc poſſeſſionem, vt ex ea non procedat vſucapio. l. ſi eum qui. 27. in princ. ff. de donat. inter vir. & vxor. Ciuilis itaque poſſeſſio accipitur in ſola ſupradicta prima ſignificatione, cum quis rem aliquam detinet tanquam Dominus ipſius, quamuis re vera Dominus non ſit, vt tamen eam rem vſucapere poſſit. Naturalis autem poſſeſſio accipitur in omnibus iſtis tribus ſignificationibus, nam & is naturaliter poſſidere dicitur, qui rem aliquam tanquam ſuam detinet, vnde Dominium à naturali poſſeſſione proficiſci dicitur. l. 1. in princ. verſ. dominiumq. ff. de acquir. poſs. nec diſtinguitur, vſucapi res ab eo poſſit, nec ne?

Vſufructuarius quoque rem, cuius vſufructum habet, creditor item pignus, & is, qui precario rogauit, naturaliter poſſident, vt ſupra oſtenſum eſt; ſed, & Colonus, & Depoſitarius naturaliter poſſidere dicuntur. l. communi. 7. §. ne-

7. §. neque colonis, ff. comm. diuidum, & per conſequens omnes alij, qui alieno nomine detinent.

Plane tam Naturalis, quam Ciuilis poſſeſſionis duplex videtur eſſe ſignificatio. Vna naturaliter dicitur poſſidere, qui corpore rem appræhendit, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit poſſeſſio. Sic etiam Ciuiliter dicitur poſſidere, qui ſolo animo poſſidet. l. nemo. 10. in princ. ff. de acquir. poſſ. Sic duo eamdem rem in ſolidum poſſidere poſſunt, vnus naturaliter, ſiue corpore, & animo, alius ciuiliter animo tantum. l. & habet. 15. §. eum qui, ff. de prec. l. poſſideri. 3. §. ex contrario, verſ. Sabinus tamen, & l. quo pignoris. 36. ff. de acquir. poſſ. l. ſerui. 16. ff. de vſucapio.

Altera ſignificatione naturaliter dicitur poſſidere, qui rem ex iniuſta cauſa detinet mala fide. Ciuiliter, qui poſſidet bona fide, ex qua poſsit procedere vſucapio; in qua ſignificatione naturalis poſſeſsio dicitur quemadmodum filius naturalis ad differentiam legitimi. Sed in priori ſignificatione naturalis poſſeſſio dicitur quemadmodum filius naturalis ad differentiam adoptiui. inſtit. de adopti. in princ.

Secunda poſſeſſionis diuiſio eſt, quod altera eſt bonæ fidei; altera malæ fidei. l. poſſideri, §. genera, in fin. ff. de adquir. poſs.

Tertia poſſeſſionis diuiſio ſumpta ex cauſa poſſeſſionis habetur, in d. l. poſſideri. 3. §. genera, ff. de adquir. poſſ.

Diuiſio Decimaquinta.

INterdicta diuiduntur ex eorum officio, quia alia ſunt prohibitoria, alia reſtitutoria, alia exhibitoria, alia mixta, quæ prohibitoria ſunt, & exhibitoria. §. ſumma, inſt. de interdictis, & l. 1. §. interdictorum, ff. eod.

Item diuiduntur ex eorum fine, quia alia adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa comparata ſunt; alia retinendæ, alia recuperandæ. §. ſequens, ibi adipiſcendæ, ibi retinendæ, &

ibi recuperandæ. inſt. de interdict. l. 2. §. hæc autem, ff. eod. & l. 1. §. eſt igitur, verſ. & vt pedius, ff. vti poſſidetis.

Item diuiduntur ex eorum materia, ſeu obiecto, quia alia competunt de rebus diuinis, alia de humanis. Item de rebus humanis, aut de his, quæ ſunt alicuius, aut de his, quæ ſunt nullius. l. 1. in princ. ff. eod. & l. 2. §. interdicta, ff. eod.

Item diuiduntur ex eorum materia ſeu obiecto iterum, quia alia in præſens, alia in præteritum referuntur. l. 1. §. interdictorum, ff. eod.

Item diuiduntur, quia alia quaſi proprietatis, alia poſſeſſionis cauſam continent. l. 2. §. quædam, ff. eod.

Item diuiduntur ex tempore, quia alia ſunt annalia, alia perpetua. l. 1. §. fin. ff. eod.

Diuiſio Decimaſexta.

Seruitutes diuiduntur, quia alię ſunt perſonarum, vt vſusfructus, alię ſunt rerum, vt ſeruitutes ruſticorum prędiorum, & vrbanorum. l. 1. ff. de ſeruitutibus.

Diuiſio Decimaſeptima.

Res diuiduntur, quia alię ſunt diuinæ, alię humanę. l. 1. in princ. ff. de diuis. rerum.

Diuinę item diuiduntur, quia alię ſunt Sacrę, alię Religioſę, alię Sanctę. d. l. 1. §. 1. & §. quod autem. Humanę item diuiduntur, quia alię ſunt publicę, alię priuatę: d. l. 1. §. hę autem res. Item diuiduntur quarto quia alię ſunt in patrimonio noſtro, alię extra patrimonium noſtrum; nam quędam ſunt naturali iure communia omnium, quædam publica, quędam vniuerſitatis, quędam nullius, plereque ſingulorum. inſt. de rerum diuiſ. in princ. & l. 2. eod. Exemplum earum, quę naturali iure communia ſunt omninum tradit §. & quidem, inſtit. de rerum diuiſ. & d.

l. 2.

l.2. in fin. Publicarum tradit §.flumina,cum ſeq. inſt.eod. & l. nemo . 4. cum ſequenti, ff. eod. earum, quę ſunt vniuerſitatis exemplum tradit . §. vniuerſitatis . inſt. eod. & l. in tantum . 6. §. vniuerſitatis, ff. eod. Item quæ nullius ſunt tradit . §. nullius. inſt.eod.& d.l.6.§.ſacrę res, ff.eod. & d.l.1. §.quod autem, ff. eod. Item earum, quę ſingularum ſunt exemplum tradit . §. ſingulorum , & ſequentes . inſt. de rerum diuiſ. vbi gloſ. in verbo iure Ciuili . & §. 1. & toto tit. inſt. de vſucap. & per quas perſ. nobis acq. & ff. de acquir. rerum domin. cum ſimilibus .

Item quinto diuiditur, quia aliæ ſunt corporales, alię incorporales . inſt.de rebus corpor. & incorpor. & l. 1. §. quędam, ff. eod.

Item ſexto diuiduntur, quia alię ſunt mobiles, aliæ immobiles . & ita differunt .

Diuiſio Decimaoctaua .

BOnorum poſſeſſio diuiditur in ordinariam, & extraordinariam .

Ordinaria , aut eſt ex teſtamento , aut ab inteſtato .

Ab inteſtamento,vt bonorum poſſeſſeſſio { Secundum Tabulas, & contra Tabulas .

Ab inteſtato, vt eſt bonorum poſſeſſio {
Vnde liberi .
Vnde legittimi .
Vnde proximi cognati .
Vnde vir, & vxor .

Inſt. de bonorum poſſ. §. ſunt autem, vſque ad §. cum igitur, concordat . l. ſed cum . 6. §. bonorum, ff. eod.

Diuiſio Decimanona .

TEſtamenti prima diuiſio eſt , quod alterum Calatis comitijs , alterum procinctum, alterum per æs, & li-

bram, alterum honorarium, alterum ciuile dicebatur. inſt. de teſt. §. 1.

Secunda diuiſio eſt, quod alterum iuſtum, alterum iniuſtum dicitur. l. 1. §. 1. ff. quemad. teſt. aperia.

Tertia diuiſio eſt, quod alterum ſcriptum, alterum nuncupatiuum dicitur. & ſic conſtat differre.

Diuiſio Vigeſima.

COgnationis diuiſio eſt, quia alia eſt naturalis, alia ciuilis, alia mixta, hoc eſt ciuilis, & naruralis, ſed ciuilis magis proprie adgnatio vocatur. l. non facile. 4. §. cognationis, ff. de gradibus cogn.

Item alij ſunt gradus ſuperioris, alij inferioris, alij ex transuerſo, ſiue à latere. inſt. de gradibus cogn. in princ. concordat l. 1. in princ. ff. eod. & l. 9. eod. & ſuperior cognatio eſt parentum, inferior liberorum. l. 10. §. parentes, ff. de gradibus, ex transuerſo, ſiue à latere cognationis ſpecies proponitur d. l. 10. §. parentes eod. & ratio, qua poteſt cognoſci, quoto quiſque gradu alteri ſit cognatus proponitur. §. at quoties de d. l. 10. & ita differunt.

Diuiſio Vigeſimaprima.

LEgata, & fideicommiſſa olim in quatuor genera diuidebantur, vnum, quod appellabatur per vindicationem, alterum per donationem, tertium ſinendi modo, quartum per pręceptionem, quę diuiſio proponitur, ac tollitur. inſt. de legatis. §. ſed olim quidem.

Diuiſio Vigeſimaſecunda.

COnditionum diuiſio triplex oſtenditur in l. in facto. 59. ff. de condit. & demoſtr. quamuis, vt dicit ibi gloſ. in verbo quaſi, aliæ multæ ſint diuiſiones, ſed hæ frequentius contingunt.

Nam

Nam prima, aut in dando, aut in faciendo, aut in euentu conſiſtit.

Secunda, aut eſt affirmatiua, aut negatiua.

Tertia, aut eſt expreſſa, aut tacita, illa facti, hæc iuris conditio appellatur. l. multum intereſt. 21. ff. eod. & vide in tract. meo de condit. c. 3. in princ.

Diuiſio Vigeſimatertia.

DOnatio diuiditur in donationem mortis cauſa, & in donationem inter viuos, hæc propria illa impropria, quæ continet etiam donationem ante, ſeu propter nuptias. inſt. de donat. in princ. concordat, l. 1. ff. eod.

Diuiſio Vigeſimaquarta.

DOnatio mortis cauſa diuiditur in tres ſpecies. Prima eſt, cum quis nullo præſentis periculi metu conterritus, ſed ſola cogitatione mortalitatis donat. Secunda eſt, cum quis imminente periculo commotus ita donat, vt ſtatim fiat accipientis. Tertia eſt, cum quis periculo mortis non ſic det, vt ſtatim fiat accipientis, ſed tunc demum, cum mors fuerit inſecuta. l. 2. ff. de mortis cauſ. donat. & l. mortis cauſa. 30. §. rurſus, & l. ſenatus conſuit. 34. §. mortis cauſa, ff. eod. & ſic conſtat differre.

Diuiſio Vigeſimaquinta.

OBligationis prima diuiſio eſt, quod alia eſt Naturalis, alia Ciuilis. l. iuris gentium. 7. ff. de pactis. Naturaiis obligationis ſpecies, & exempla tradunt. l. cum amplius. 84. ff. de reg. iur. & l. 1. in princ. ff. de pact. & §. ſed cum nulla, de d. l. iuris gentium, & l. 1. §. fin. ff. de nouatio, & l. ſerui. 13. ff. de act. & oblig. & l. 1. in princ. ff. ad Macedon. cuius obligationis propria ſunt ſex potiſ-

ſimum.

ſimum. Quorum primum eſt, vt ſolo æquitatis vinculo ſubſtineantur, nullo iure ciuili ſuffultæ, ff. de ſoluti, & vt Ciuilis obligatio dicitur vinculum iuris, ita Naturalis obligatio dicitur vinculum æquitatis. Alterum proprium eſt, quod naturaliter obligati improprie debitores dicuntur. l. fideiuſſor. 16. ibi nam licet minus, ff. de fideiuſſor. quia proprie debitor is dicitur, à quo inuito pecunia exigi poteſt. l. debitor. 108. ff. de verb. ſign. Ab eo autem, qui naturaliter eſt obligatus, inuito pecunia exigi non poteſt, cum aduerſus eum non detur actio. d. l. debitor. Tertium naturalis obligationis proprium eſt, quod ex ea nulla detur actio, ſed tantum exceptio, quod approbatur exemplo pacti nudi. primo in l. iuris gentium. 7. §. ſed cum nulla, ff. de pactis. Item exemplo pupilli mutuum accipientis, & poſt pubertatem ſoluentis. l. naturaliter. 13. §. fin. cum l. ſequenti, ff. de cond. indeb. Tertio approbatur exemplo ſerui contrahentis, cuius nomine ſolutio eſt facta. d. l. 13. in princ. concordat. l. hæres. 21. §. quod ſic. ibi, & tamen nihilominus, ff. de fideiuſſoribus. Quarto approbatur exemplo filij familias mutuam pecuniam accipientis, & poſt emancipationem ſoluentis. l. ſed & ſi. 11. §. fin. cum l. ſequenti, ff. ad Macedon. l. & naturales. 9. ff. de actio, & oblig. & l. fideiuſſor. 16. §. fideiuſſor, ff. de fideiuſſoribus, & hoc niſi aliqua Ciuili lege adiuuetur. l. legitima. 6. ff. de pactis. Quartum proprium eſt, quod quamuis alias acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, tamen obligatio fideiiuſſoria, & pignoraticia naturali obligationi accedens parit actionem, quamuis ipſa principalis obligatio actionem non pariat. l. fidei iuſſor. 16. §. fideiuſſor, ff. de fideiiuſſoribus. & l. naturaliter. 16. in princ. ibi, & ob id, ff. de cond. indeb. & l. res. 5. ibi, vel tantum, & l. quæſitum. 14. §. fin. ff. de pignor. Quintum proprium eſt, quod ſi fideiuſſor naturalis debitoris, pro quo interceſſerat, hæres extiterit, fideiiuſſaria obligatio non extinguatur, quamuis ſecus in alio fideiuſ-

ſore

ſore eueniret. l. Sticchum. 95. §. quid vulgo, ff. de ſolutionibus. Sextum proprium eſt, quod Naturalis obligatio, pacto conuento de non petendo, ipſo iure tollatur, cum aliæ obligationes per pactum, non ipſo iure, ſed per exceptionem tollantur: d. l. ſticchum. 95. §. naturalis, ff. de ſolutionibus. Et ex ijs conſtant Ciuilis, & Naturalis obligationis differentiæ.

Secunda obligationis diuiſio eſt, quod alia ſit Ciuilis, alia Prætoria. Inſt. de obligationibus §. 1. & §. Ciuiles eod.

Tertia obligationis diuiſio ex cauſa efficiente ſumpta eſt, quod naſcitur, aut ex contractu, aut ex quaſi contractu, aut ex maleficio, aut ex quaſi maleficio. Inſt. de oblig. §. ſequens, & l. 1. in princ. ff. de actio. & obligat. Obligationis ex contractu deſcendentis diuiſio ſumpta ex cauſa, & modo contractus quadruplex eſt, Nam aut re primo, aut verbis ſecundo, Tertio aut litteris, Quarto aut conſenſu contrahitur. Inſtit. de oblig. §. fin. & l. 1. §. 1. ff. de actio. & oblig. Quid ſit re contrahere dicit l. obligamur, 51. §. 1. ſcilicet mutuum, commodum, depoſitum, pignus, concordat Inſt. quibus modis contra. obli. vbi additur quinta ſpecies, nempe ſolutio indebiti. Quid ſit verbis contrahere obligationem dicit d. l. 1. §. verbis, concordat d. l. obligamur, 51. §. verbis. Quid ſit litteris contrahere obligationem dicit Inſt. de litter. oblig. & aliud exemplum ponit l. vltima, in princ. ff. mandati, & l. non fig. 37. ff. de actio, & oblig. Quid ſit conſenſu contrahere obligationem dicit Inſt. de oblig. ex conſenſu, & l. 2. ff. de actio. & oblig. concordat l. obligamur, 51. §. conſentientes eod. & l. ſi ſtipuler. 35. §. fin. ff. de verb. oblig.

Item contractus, ex quo deſcendit obligatio dupliciter diuiditur. Nam primo alij ſunt contractus nominati, alij innominati. l. iuris gentium 7. in princ. ff. de pactis. Et de innominatis, atque eorum ſpecies dicit l. naturales 5. ff. de præſcript. verbis.

Item obligationis diuiſio, itidem ex cauſa, ſeu facto

ſumpta

ſumpta proponitur. l. obligamur. 51. ff. de actio. & oblig. Nam contrahitur aut re, aut verbis, aut vtroque, aut conſenſu, aut lege, aut iure honorario, aut ex neceſſitate, aut ex facto, quorum exempla ſubſequuntur in d.l. 51.

Item obligationum alia diuiſio eſt duplex; Nam primo, aut nomine noſtro, ſecundo aut nomine alieno obligamur. l. 1. §. aut proprio. ff. de actio. & oblig.

Item obligationum alia diuiſio eſt quadruplex ſumpta; ex cauſis formalibus, l. obligationum fere 43. ff. de actio. & oblig. Nam primo in obligationibus eſt dies. 2. conditio. 3. aut modus. 4. aut acceſſio. Quorum exempla in d. l. ſubſequuntur. ibi cum dies de die, de conditione, ibi conditio vero, de modo ibi. modus autem, de acceſſione ibi acceſſio vero. & ſic patet differre.

Diuiſio Vigeſimaſexta.

Actionis diuiſio ſumpta ex perſona eius, aduerſus quẽ competit, eſt duplex. In rem prima, quæ dicitur vindicatio, ſecunda in perſonam, quę dicitur condictio. l. actionum. 24. in princ. ff. de actio. & oblig. & Inſt. de act. §. omnium.

Actionis diuiſio ſecunda ſumpta ex facto, ex quo agitur eſt duplex. Prima ex contractu, ſecunda ex facto, tertia in factum eſt. l. actionum. 24. §. actionum. ff. de act. & oblig. quorum exempla ſubſequuntur. Nam de prima ex contractu ibi ex contractu, De ſecunda ex facto ibi. ex facto, De tertia in factum ibi in factum, & ſupra Diuiſ. 25. verſ. tertia obligationis diuiſio.

Actionis diuiſio tertia ſumpta ex iure, ex quo agitur, eſt duplex. Nam primo, aut dicitur Ciuilis, ſecundo aut honoraria. d.l. 24. §. fin. & in Diuiſ. 25. verſ. ſecunda obligationis diuiſio, & Inſt. de actio. §. ſed iſtæ quidem. Vbi vtriuſq; ſpecies, & exempla enumerantur, quæ Honorariæ dicuntur, dicuntur etiam Prætoriæ, & ſunt annales. Inſt.

de

de perpet.& temp. actio in princ. niſi contineant perſecutionem rei l. in honorarijs, 34. ff. de actio. & oblig. & inſt. eod. in princ.

Actionis diuiſio quarta ſumpta itidem ex iure, quo agitur, eſt duplex. Prima directa, ſecunda vtilis. Directa eſt, quę ex ipſis verbis legis datur. Vtilis verò, quæ ceſſantibus verbis, ex mente legis iuſta interpretatione competit. Vtputa dicit lex Aquilia ſi quis alteri damnum fecerit, quod vſſerit, fregerit, ruperit iniuria quanti ea res erit, diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas eſto. l. ſi ſeruus 26. §. tertio autem, ff. ad legem Aquiliam.

Si quis igitur ſeruum alicuius; vel pecudem uſſerit, fregerit, ruperit, ex iam dictis verbis legis actio competit, quæ dicitur Directa d. l. 26. §. ſi quis autem alienum vinum, vel frumentum conſumpſerit, ex dictis verbis actio quidem non competit, quia de vſto, fracto, & rupto, non de conſumpto, vel effuſo loquitur, quia tamen mens legiſlatoris: & hæc fuit, vt quis de conſumpto quoque teneatur, ex mente legis competit actio, quæ dicitur vtilis, l. qui occidit, 30. §. ſi quis alienum, ff. eod. quoties enim deficit actio, vel exceptio directa, vtilis actio, vel exceptio danda eſt, l. quia, 11. & l. quoties 22. ff. de pręſcriptis verbis, & nihil intereſt, qua actione quis agat, vel conueniatur, nam vtraque eſt eiuſdem poteſtatis, & eundem habet effectum, l. actio negociorum geſtorum 46. ff. de negocior. geſtor.

Actionis diuiſio quinta ſumpta ex re, quæ in actionem venit, ſeu fine eſt triplex. Nam prima perſequendę rei cauſa comparata eſt. Secunda penæ. Tertia vtriuſque nempe rei, & penæ Inſt. de act. §. ſequens, quarum exempla ibi ſubſequuntur. De prima perſequendę ibi rei perſequendę. De ſecunda pęnę, ibi pęna tantum. De tertia vtriuſque rei, & pęnę, quæ dicitur mixta ibi. Quo caſu, & ibi. Ob id, & ibi Vi autem, & ibi. Item mixta.

Actionis diuiſio ſexta itidem ſumpta ex re,quę in actionem venit, quadruplex eſt. Nam prima in ſimplum concepta eſt. Secunda in duplum, tertia in triplum, quarta in quadruplum, vlterius nulla actio extenditur. Inſt. de actio.§.omnes autem actiones, vel in ſimplum, quorum exempla ibi ſubſequuntur. De prima ſimpli ibi. In ſimplũ. De ſecunda dupli ibi. In duplum. De tertia tripli ibi. Tripli vero. De quarta quadrupli ibi. Quadrupli autem.

Actionis ſeptima diuiſio duplex eſt. Nam prima bonę fidei. Secunda ſtricti iuris. Inſt. de act. §. actionum quędam bonæ fidei. quorum exempla ibi ſubſequuntur. De Prima bonæ fidei ibi. Bonæ fidei, cetera vero ſunt ſtricti iuris.

Actionis octaua diuiſio ex adiuncto iudicis officio ſumpta eſt duplex. Prima Arbitraria. Secunda, non arbitraria Inſt. de actio. §. prętere a quaſdam, quorum exempla ibi ſubſequuntur.

Actionis nona diuiſio ex omnibus generibus actionum notanda totuplex eſt, quotuplicia ſunt genera actionum, quæ enumerantur, l. actionis 36. ff. de actio. & oblig. & inſt. de actio §. quædam actiones, & aliæ multę infra ſuis locis ſpecialibus ponendæ. Et ſic patet differre.

Diuiſio Vigeſimaſeptima.

PActi conuenti, ſeu conuentionis Prima diuiſio duplex eſt. Nam prima dicitur Nominata. Secunda in nominata,l.1.§.fin.ff.de pactis,& l.iuris gentium 7. in princ. eodem.

Pactorum tertia diuiſio eſt duplex. Nam Prima pacta legitima, ſecunda iuris gentium continet dicta l. conuentionum, & l. legittima, 6. ff. eod. concordat inſt. de oblig. §. ciuiles.

Pacti, & conuentionis quarta diuiſio duplex eſt. Nam prima parit actionem. Secunda exceptionem tantum, l.

iuris

iuris gentium 7. in princ. ff. de pactis.

Pactorum quinta diuiſio duplex eſt. Nam prima pactũ reale, ſecunda perſonale continet d.l.7.§.pactorum, & l. tale 40. in princ. eod.

Pactorum ſexta diuiſio duplex eſt. Nam prima continet pacta expræſſa, ſecunda pacta Tacita, l. 2.ff.de pactis. Cuius Taciti prima ſpecies proponitur d.l. 2. Secunda ſpecies proponitur d.l.4.§. huius rei. quarta ſpecies proponitur d. l.4.§.fin. quinta ſpecies proponitur l. qui in futurum, 56. in princ. ff.de pact. ſexta ſpecies proponitur, l.ſi vnus, 27. §. ſi acceptilatio, ff.de pactis, ſeptima ſpecies proponitur l.2.C.de pactis. octaua ſpecies eſt, ſi quis id, quod ſibi debetur, ab alio ſibi dari ſit ſtipulatus, hoc enim caſu prior, debitor exceptione pacti conuenti defenditur, quę ſpecies approbatur, & diſtinguitur, l.in perſona, 30. §. qui pecuniam, ff. de pactis.

Pactorum ſeptima diuiſio eſt quadruplex, aut enim re primo, ſecundo verbis, tertio litteris, quarto conſenſu fiũt. Vide ſupra diuiſ. 25. Verſ. Obligationis ex contractu deſcendentis diuiſio ſumpta ex cauſa, & modo contractus, & ita dignoſcitur eorumdem differentia.

Diuiſio Vigeſimaoctaua.

STipulationum prima diuiſio ſumpta ex cauſa efficienti quadruplex eſt. Nam prima continet Iudiciales, ſecunda Pretorias, tertia conuentionales, quarta communes, l.ſtipulationum, 5. ff.de verb.oblig. quorum exempla ibi ſubſequntur. Nam de prima Iudiciali ibi Iudiciales. de ſecunda Pretoria ibi Pretorię. de tertia conuentionali ibi conuentionales. De quarta communi ibi Communes, Concordat Inſt. de diuiſ. ſtipulationum, §. ſtipulationum, Azzo in ſumma, ff. de Prætorijs ſtipulat.

Stipulationum ſecunda diuiſio ſumpta ex re in ſtipulatum deducta eſt duplex. Nam prima conſiſtit in dando,

ſecunda in faciendo. l. 2. in princ. ff. de verb. oblig. concordat Inſt. cod. §. non ſolum,

Stipulationum tertia diuiſio itidem ſumpta ex re in ſtipulatum deducta eſt duplex prima eſt Certa, ſecunda Incerta, l. ſtipulationum 74. cum l. ſequenti, ff. de verb. oblig. quorum exempla ſubſequuntur ibi. Nam de prima Certa ibi, Certum eſt. De ſecunda incerta ibi, Vbi autem non apparet. Certæ ſtipulationis ſpecies ibi octo proponuntur, Incertę decem, quas ſcire multum intereſt. Nam ex ſtipulatione certa oritur certi condictio, ex incerta datur actio ex ſtipulatu, l. ſi quis, 24. ff. ſi cert. pet. & Inſt. de verb. oblig. in prin.

Stipulationum quarta diuiſio eſt duplex. Nam prima eſt Diuidua, ſecunda Indiuidua, l. in exceptione 85. ff. de verb. oblig. & ita differre conſtat.

Diuiſio Vigeſimanona.

STipulationum Prętoriarum prima diuiſio eſt triplex, nam prima Iudiciales, ſecunda Cautionales, tertia Communes ſtipulationes continet, l. 1. in princ. ff. de prætor. ſtipul. quarum exempla ſubſequuntur ibi. Nam de prima iudiciali, ibi iudiciales. De ſecunda cautionali, ibi cautionales. De tertia communi, ibi communes, & omnes ſui natura ſunt cautionales ibi.

Stipulationum Prętoriarum ſecunda diuiſio duplex eſt. Nam prima habet eas, quæ ſatiſdationem exigunt, ſecunda eas, quæ nudam exigunt repromiſſionem dicta l. 1. §. ſtipulationum vſque ad §. his verbis, ff. de prætor. ſtipul. quorum exempla ſubſequuntur ibi. Nam de prima quę ſatiſdationem exigit ibi. Stipulatio iſta, & ibi. Namque de eo, & ibi, ſed & hij, & ibi. Nam ſi. De ſecunda quę ſatiſdationem non exigit, ſed nudam repromiſſionem ibi. Vbi de prima.

Stipulationum Prętoriarum tertia diuiſio eſt duplex.

Nam

Nam prima continet rei reſtitutionem . ſecunda incertam quantitatem, l. 2. ff. de prętor. ſtipul. quarum exempla ibi ſubſequuntur . Nam de prima rei . De ſecunda incertam quantitatem continente . ibi incertam quantitatem . & & ſic differunt propter diuerſitatem nominis .

Diuiſio Trigeſima .

PIgnoris diuiſio duplex eſt. Nam aliud eſt Conuentionale , aliud Prętorinm, l. 2. in princ. C. de Prętor. pigno. & ideo differre conſtat .

Diuiſio Trigeſimaprima .

SOcietatis diuiſio duplex eſt , aut enim primo eſt totorum bonorum , aut ſecundo vnius alicuius negociationis . Inſt. de ſocietate, §. ſocietatem coire, & l. ſocietates, 5. ff. pro ſocio , vt hac ratione differant .

Diuiſio Trigeſimaſecunda.

MAndati diuiſio quintuplex eſt . nam primo contrahitur, ſi ſua tantum gratia aliquis tibi mandet. Secundo ſi ſua , & tua , Tertia ſi aliena tantum . Quarto ſi ſua , & aliena . Quinto ſi tua , & aliena. Inſt. de mandato in princ. quorum exempla ibi ſubſequuntur . De primo ſi ſua tantum gratia ibi . Mandatis tantum . De ſecundo ſi ſua , & tua ibi . Tua gratia & mandantis. De tertio ſi aliena tantum , ibi . Aliena tantum . De quarto ſi ſua, & aliena , ibi . ſua , & aliena . De quinto ſi tua , & aliena , ibi . Tua , & aliena , Tua tantum gratia mandatum ſuperuacuum eſt , ibi . At ſi tua tantum , & eſt potius conſilium , ibi . Tua tantum gratia interuenit concordat, l. 2. ff. mandati , & hac ratione differre non eſt dubium .

Tri-

Diuiſio Trigeſimatertia.

ACtionis Prȩſcriptis verbis quadruplex diuiſio ex quatuor cauſis ſumpta eſt. nam prima eſt Do tibi, vt des; ſecunda do, vt facias; tertia facio, vt des. quarta facio, vt facias, l. naturalis, 5. ff. prȩſcript. verbis, quorum exempla ibi ſubſequuntur. nam de prima Do tibi, vt des, ibi, Etſi quidem. De ſecunda do, vt facias, ibi, At cum do, vt facias. De tertia facio, vt des, ibi. Quod ſi faciam, vt des. De quarta facio, vt facias, ibi, ſed ſi facio, vt facias, & ita differunt.

Diuiſio Trigeſimaquarta.

NEgociorum geſtorum actionis diuiſio duplex eſt. Directa vna, Altera contraria. Inſt. de oblig. quȩ quaſi ex contr. naſc. §. 1. ibi. ſed domino quidem, concordat l. 2. ff. negocijs geſtis. & vtique ideo differre colligitur.

Diuiſio Trigeſimaquinta.

FVrti diuiſio duplex eſt. prima habet furtum manifeſtum. Secunda non manifeſtum, l. 2. ff. de furtis, & Inſt. de oblig. quȩ ex delicto naſcun. §. furtorum, & differentia patet.

Diuiſio Trigeſimaſexta.

EXceptionum prima diuiſio duplex eſt. nam primo quȩdam ex legibus, vel ex ijs, quȩ legis vicem obtinent, ſubſtantiam capiunt. Secundo quȩdam ex Prȩtoris iuriſdictione, & ſic primȩ ciuiles. ſecundȩ Prætoriȩ dici poſſunt. Inſt. de except. §. hȩc exempli, in fine.

Exceptionum ſecunda diuiſio ſumpta ab effectu eſt duplex, nam prima habet perpetuas, & peremptorias. ſecun-

da

da temporales, & dilatorias. Inſt. eod. §. appellantur, quorum exempla ibi ſubſequuntur. De prima perpetua, & peremptoria, ibi, perpetuę,& peremptorię. De ſecunda temporali, & dilatoria, ibi temporales, atque dilatorię exemplum ſubſequitur, & Inſt. eod. §. penult. concordat diuiſioni propoſitę,l.2.§.fin.ff.de except.&l.exceptiones,3.ff.eod.& l.ſi quis,12.C.eod.& l.apertiſſimi. C. de iudicijs iſtę temporales, ſeu dilatoriæ translatiuę etiam dici poſſunt ex ſententia Cicer. lib. 1. de Oratore, ibi Atque in noſtra quidem conſuetudine multis de cauſis fit,vt rarius incidant translationes, has vtique meminit Quintil.de Oratore lib.5.c.13.in princ. ibi Patronus neget,defendat, transferat illę peremptoriæ, & perpetuæ excluſiuæ, ibi, Nam & prætorijs exceptionibus multæ excluduntur actiones, quem refert Budæus in annot. in Pandect. ex l. poſteriore de orig.iuris,in verbo vindicias,fol. 119.& differrę vtique notum eſt.

Diuiſio Trigeſimaſeptima.

Liberationum diuiſio prima ſumpta ex iure,ſeu cauſa liberationis eſt duplex. Prima Naturalis, ſecunda Ciuilis, l. verborum, 107. ff. de ſolutionibus, quorum exempla ibi ſubſequuntur. Nam de prima naturali ibi Naturaliter, de ſecunda Ciuili ibi Ciuiliter exemplum ſubſequitur.

Liberationum ſecunda diuiſio ſumpta ex modo liberandi eſt duplex. Prima, quod ex quibuſdam cauſis ipſo iure liberatio contingat ſecunda quod ex quibuſdam cauſis nonniſi per exceptionem ipſo iure veluti ſolutione, Nouatione, Acceptilatione, &c. quibus modis debitor liberatur, etiam antequam ſolutionis, nouationis,vel acceptilationis exceptio fuerit oppoſita. Per exceptionem autem liberatur reus, cum non ſufficit aliquid factum eſſe, ex quo reus liberari poſſit, ſed requiritur etiam, vt in iſto

facto

facto exceptio in iudicio ſit oppoſita. De prima exemplum eſt in l. ſi vnus . 27. §.pactus ne peteret, ff.de pactis, ibi: ſi pactum conuentum tale fuit. De ſecunda exemplum eſt in l. eum qui 56.§.qui ita ſtipulatur ibi. Quemadmodum is, ff. de verb. oblig. concordat, l.obligationum 43.§.placet, ff.de actio.& oblig.& ſic patet differentia.

Diuiſio Trigeſimaoctaua.

NOuationis, & Delegationis diuiſio duplex eſt. Prima fit per ſtipulationem. ſecunda fit per litis conteſtationem, l.delegare 11.in fine, ff.de nouatio.

Nouationis ſecunda diuiſio triplex eſt. Prima cum vnius perſonæ obligatio in alterius perſonæ obligationem nouatur, ſecunda cum alterius generis obligatio in verborum obligationem nouatur, Tertia cum verborum obligatio in alteram formam commutatur, ideſt cum ei adijcitur, vel detrahitur, l. 1. & 2. ff. de nouatio. & hac ratione differunt.

Diuiſio Trigeſimanona.

CApitis diminutionis diuiſio triplex eſt. Prima maxima, ſecunda maior, ſeu media; tertia minima. Inſt. de capit. diminut. quarum exempla ibi ſubſequuntur. De prima maxima, ibi. Maxima. De ſecunda minori, vel media, ibi. Minor, ſiue media. De tertia minima, ibi. Minima exemplum ſubſequitur. concordat, l. vlt. ff. eod. & ſic differre conſtat.

Diuiſio Quadrageſima.

POſtliminij diuiſio duplex eſt. Primum in pace, ſecundum in Bello. competit, l. poſtliminij. 5. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ. quorum exempla ibi ſubſequuntur. De

primo

primo in pace ibi. In pace. De ſecundo in Bello, ibi in Bello exemplum ſubſequitur.

Diuiſio Quadrageſimaprima.

IMperium dupliciter diuiditur primo in Merum, ſecundo in Mixtum, l. Imperium, 3. ff. de iuriſd. omn. iud. quorum exempla ibi ſubſequuntur. Nam de primo mero, ibi, merum imperium. De ſecundo mixto, ibi mixtum eſt ſubſequitur exemplum. & differre cognoſcitur.

Diuiſio Quadrageſimaſecunda.

FIdeijuſſor quadrupliciter diuiditur, primo in fideijuſſorem, ſecundo in mandatorem, tertio in conſtitutorem, quarto in expromiſſorem, l. 1. & 3. §. 1. ff. de conſt. pecun. quæ dicit de conſtitutore, & l. 2. C. eod. de fideiuſſore. Inſt. de fideiuſſo. & ff. de mandatore dicit, l. ſi vero nō remunerandi cauſa, §. ſi poſt creditum, ff. mādat. de expromiſſore dicit, l. 5. §. ſatisacceptio, ff. de verbor. oblig. & ſic patet differre.

Diuiſio Quadrageſimatertia.

NOmina appellatiua dupliciter diuiduntur, nam quędam ſunt, quæ res habent eo ipſo, quod ſunt res ſine hominis impoſitione, vt homo, aſinus, quędam ſunt, quę res habent per accidens, vt albus, niger, homo albus, niger aſinus, quorum error in prima ſpecie vitiat actum. in ſecunda non vitiat. Bald. in l. ſi quis in fundi vocabulo, num. 3. verſ. quarto circa hoc quæritur nunquid, ff. de legat. 1. vſque ad verſ. in glo. quia veſtem. & ſic differre conſtat.

Diuiſio Quadrageſimaquarta.

CONſuetudo dupliciter diuiditur. in ſcripta, & non ſcripta diſt. 1. c. conſuetudo; §. nec differt, & §. cum itaque.

Diuiſio Quadrageſimaquinta.

CAnonum diuiſio habetur diſt. 3. cap. regula §. porro canonum.

Diuiſio Quadrageſimaſexta.

EXcommunicationis diuiſio quadruplex eſt, quia alia fit ipſo iure, alia per ſententiam, alia, quę fit à corpore Chriſti, & alia, quæ fit à communione fidelium, vt habetur 11. q. 3. c. curæ ſit. §. fin. cum c. ſequen. cap. ad menſas, §. euidenter. ver. ſed ipſius ſententię, cum ſequen. Excommunicationis ipſo iure exemplum proponitur 24. q. 13. c. de illis, c. cum aliquis, & c. certum, in princ. & in multis ideo differunt.

Diuiſio Quadrageſimaſeptima.

ABlutionis diuiſio duplex eſt. Vna publica; alia priuata, vt habetur 26. quęſt. 6. cap. miniſtrare; §. ſed notandum.

Diuiſio Quadrageſimaoctaua.

DIuiſio Clericorum in Canonicos, & non canonicos habetur. c. cum tibi. 18. de verborum ſignific.

Diui-

Diuiſio Quadrageſimanona.

DIuiſio Epiſcoporum, & ſpecies habentur in c. 1. §. ordo vero diſtinct. 21.

Diuiſio Quinquageſima.

PAenitentia triplex habetur, in cap. tres ſunt. de pœniten. diſtinct. 1. & duplex vera, & falſa, in cap. inſtanti, §. fin. & c. ſceleratior, §. 1. diſtinct. 3. de pęniten. item interior, & exterior, cap. quis aliquando, §. è contra, diſtinct. 1. eodem.

Diuiſio Quinquageſimaprima.

PEccata diuiduntur in mortalia, & venialia, cap. cum vnum. §. vnde. diſtinct. 25. Item in originalia, & actualia, c. regenerante. diſtinc. 4. de conſecrat.

Diuiſio Quinquageſimaſecunda.

SPonſalia alia ſunt de præſenti, alia de futuro c. ſi inter virum, 31. de ſponſalibus.

Diuiſio Quinquageſimatertia.

MAtrimonium aliud eſt initiatum, aliud ratum 27. quęſt. 2. cap. ſtatutum, §. fin. aliud legitimũ, & non ratum, aliud ratum, & non legitimũ, aliud denique legitimum, & ratum, 28. q. 1. c. vlt. §. coniugium. & ſic propter nominis diuerſitatem differre conſtat, vt ſępe dixi.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE